

*Hoc verum est Numen, non (quod fædo evomit ore
Impietas infanda, pia intolerabilis auri)
Cerberus iste triceps, antiqui Plasma Poëta,
Humano quamvis nequeas comprehendere sensu.
Hæretici hic valeant, valeat rationis acumen,
Una fides hoc arcanum inscrutabile adorat.
Judicio præstans ævi florentis in annis,
Tanti Mysteri, STOLLI, defensor es acer
His thesibus, puro è Sacrorum fonte petitis:
Unde tibi solida laudis seges ampla parata est.
Urge gnævus iter captum feliciter, olim
Ut tibi purpureâ velentur tempora mitra.*

In
*Excellentissimi Domini Respondentis Αγορευτικῆς
Theologicæ,*

**DANIELIS ANGELOCRA-
TORIS, AD LANUM SUPERINTENDEN-
TIS, EPIGRAMMA.**

DE Deitate tibi quænam fluit ore loquela
Tam pia, tam locuples, tam gravis atq; potens?
Tam tibi sublimis sapientia, tam que profunda,
Tam lata & longa hæc cognitio unde patet?
Non caro, non sanguis, non dogmata Philosophorum
Hanc manifestarunt, sed DEUS ipse Pater.
Sed Deus ipse Pater, memori quem pectore gestas,
Voce tua extollis, moribus usq; refers,
Moribus usq; refers, & contemplaris in Ore
Ac facie Christi, qui, quod & est Pater, est.

C 3

Qui,